



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio VII. De Merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

neminem justificari posse sine fide in Christum, licet observet legem Moisaicam; & hominem, etiam si hanc legem non observet, per fidem in Christum justificari, modò tamen alia opera christiana ad id requisita, non desint.

Similiter cum Apostolus Ephes. cap. 2. ait: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur: ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae preparavit Deus, ut in illis ambulemus*; excludit solum opera naturalia, adeoque opera facta sine fide & sine gratia, quibus si justificationis gratiam consequeremur, in nobis possemus gloriari. Non autem excludit opera ex fide & viribus gratiae facta, de quibus gloriari non possumus; cum sint Dei dona, sicut & fides ipsa, ex qua sunt, utpotè à Deo in aeternitate misericorditer preparata seu praedeterminata, & in tempore misericorditer procurata per auxilia gratiae, quibus movemur & adjuvamus, quomodo nobis aptum est, ut illa exercere velimus, & exerceamus.

Obj. 2. Scriptura justificationem attribuit fidei, nulla mentione facta aliorum actuum. Sic dicitur Jo: cap. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*. R. 1. Scripturam loco citato loqui de fide formata, de qua sic loquitur Apostolus Gal. cap. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium: sed fides, quae per charitatem operatur*.

R. 2. Scripturam quandoque etiam, cum de dispositione ad justificationem requisita loquitur, nominare solum timorem, ut cum ait Prov. cap. 14. *Timor Domini fons vitae*; quandoque solam spem, ut cum ait Prov. cap. 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur*; quandoque solam Dei dilectionem, ut cum ait Eccl. cap. 3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis*; quandoque solum sacramentum, ut cum ait Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Itaque quando plures causae ad eundem effectum concurrunt, in Scriptura modò uni, modò alteri causae attribuitur, tacitis aliis causis, sed sine illarum praedjudicio.

Quaerens, quot sint causae justificationis?

R. cum Tridentino, sess. 6. cap. 7. esse quinque justificationis nostrae causas; finalem scilicet, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & formalem. Finalis multiplex est, nempe gloria Dei, gloria Christi, & vita aeterna. Efficiens est Deus; meritoria, Dominus noster Jesus Christus; instrumentalis, sacramenta ad remissionem peccatorum à Christo instituta; formalis denique, justitia nobis à Deo infusa.

DISPUTATIO VII.

De Merito.

ARTICULUS I.

Utrum homo cum gratia Dei operans, mereatur apud Deum.

RESPONSIO.

IUsti cum gratia Dei operantes merentur apud Deum. Est de fide, & prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur Matth. cap. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis*. Et ejusd. cap. 16. *Reddet unicuique secundum opera ejus*. Et 1. Cor. cap. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Et 2. ad Timoth. cap. 4. *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Ex quibus locis, & aliis similibus, aperte colligimus iustos bene mereri apud Deum per opera cum auxilio gratiae facta. Et verò merces, à iusto iudice retribuenda, manifestè supponit bona merita, & quidem propriè dicta, quibus retribuenda est.

Prob. 2. ex unanimi Patrum consensu. Pro Gracis hic sit S. Basilii, lib. de Spir. Sancto, cap. 24. ubi sic

ait: *Homo ... salvus fit per iustitiam operum*. Pro Latinis verò S. Augustinus, epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiae, tanquam stipendium vita aeterna*. Vide Bellarminum, lib. 5. de justificatione, cap. 4.

Prob. 3. autoritate Conciliorum, nempe Arausiaci II. cap. 18. ubi dicitur: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedat ut fiant*. Lateranensis IV. cap. *Firmiter*. *Non solum*, inquit, *virgines & continentes, verum etiam conjugati per fidem rectam & operationem bonam, placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire*. Florentini in litteris unionis, ubi dicuntur animae purgatae in caelum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

Tridentini denique, sess. 6. cap. 16. *Bene operantibus*, inquit, *usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Haec est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Et can. 32. ubi anathematizantur ii, qui dicunt hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita.

Obj. Omnia nostra opera sunt immunda, juxta illud Isaiae, cap. 64. *Quasi pannus menstruatae, universae iustitiae nostrae*. Item omnia nostra bona opera sunt inutilia, juxta illud Christi Luc. cap. 17. *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus*. Item vita aeterna nobis ut filiis tanquam haereditas datur ex misericordia & gratia, juxta illud Rom. cap. 8. *Si filii, & haereditas*. Item Christus meritis est nobis vitam aeternam, adeoque superflua sunt nostra merita.

R. ad 1. neg. Nam in textu citato, Propheta loquitur in persona impiorum Iudaeorum, & non de omnibus eorum operibus, sed solum de observatione caeremoniarum legalium, & de sacrificiis quae offerebant, & multis defectibus admixtis polluebant.

R. ad 2. neg. Ad textum autem dico, juxta mentem Christi, nos, etiamsi omnia quae nobis praecepta sunt faciamus, servos inutiles esse, quatenus nihil à Deo exigere possimus pro mandatorum observatione, si Deus pro ea nullam nobis mercedem polliceri voluisset, ut potuit absque injuria.

R. ad 3. vitam aeternam non solum haereditatem, sed etiam mercedem vocari; unde sequitur eam nobis dari non solum titulo haereditatis, sed etiam titulo mercedis; sicut in Scriptura aliquando etiam gratia nominatur: unde sequitur eam nobis dari ex gratia, quamvis nobis detur tanquam merces. Igitur vita aeterna simul est haereditas, merces, & gratia. Est haereditas, quatenus est effectus adoptionis divinae: est merces, quatenus est effectus bonorum meritorum: est gratia, quatenus Deus gratuito nos adoptat in filios, gratuito praedestinavit nostra bona merita, & ad ea ponenda nos congruè movet & adjuvat, gratuito bonis nostris meritis vitam aeternam ut mercedem proposuit, & se debitorem nostrum constituit.

R. ad 4. neg. conseq. Nam Christus nobis meritis est vitam aeternam, ut consequendam non solum tanquam haereditatem, sed etiam tanquam mercedem bonorum nostrorum operum: unde praeterea nobis meritis est non solum justificationem & adoptionem divinam, sed etiam omnia grata auxilia, sine quibus bona opera, vitae aeternae meritoria, exercere non possumus.

ARTICULUS II.

Utrum iusti apud Deum mereantur etiam de condigno.

RESPONSIO.

Iusti apud Deum merentur etiam de condigno.

Est communior Doctorum sententia, & prob. Iustum mereri apud Deum de condigno, est iustum mereri apud Deum ex iustitia, & ex aequalitate operis cum mercede naturali, illi à Deo proposita & promissa. Atqui iustus, 1. meretur apud Deum ex iustitia. 2. Meretur ex aequalitate operis cum mercede, &c. Ergo, &c.

Prob. 1. pars min. 1. ex Scriptura. Nam 2. ad Timoth. c. 4. dicit Apostolus: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et Hebr. cap. 6. *Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* 2. Auctoritate S. Augustini: nam dicit lib. de nat. & grat. c. 2. *Non est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiae.* Et lib. 4. contra Julian. c. 3. *Per quod vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus.* Per iustum autem intelligit, non eum præcisè, qui justificationis beneficium consecutus est, sed eum, qui justificationis beneficium consecutus, vera iustitiae opera exercet, Ergo, &c.

Prob. 2. pars min. Nam dicitur 2. ad Thimoth. c. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei.* Et Apocal. c. 3. *Ambulant mecum in albis, quia digni sunt.* Unde sic argumentor. Iusti per bona opera digni fiunt vita aeterna. Atqui hæc dignitas esse non potest absque aequalitate aliqua bonorum operum cum vita aeterna. Ergo, &c.

Confirm. ex Trident. Nam sess. 6. c. 16. dicit, illis iustorum operibus, quæ in Deo sunt facta, nihil deesse quominus vitam aeternam verè promeruisse censeantur. Et can. 32. definit iustos verè mereri augmentum gratiæ, vitam aeternam ejusque consecutionem, si in gratia decesserint, atque etiam augmentum gloriæ. Ergo bona iustorum opera, quæ in Deo sunt facta, sunt verè & propriè merita apud Deum, etiam relatè ad vitam aeternam. Atqui ad rationem meriti verè & propriè dicti requiritur aliqua operis meritorii cum mercede aequalitas. Ergo, &c.

Confirm. adhuc. Nam v. g. contritio charitate perfecta, quæ justificationem præcedit, & infallibiliter consequitur, non habet rationem veri meriti respectu justificationis, ut constat 1. ex Scriptura, quæ variis locis expresse affirmat impium justificari gratis. 2. Ex Trident. sess. 6. c. 8. ubi dicitur. *Gratis ideo justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Ergo bona iustorum opera, quæ in Deo facta sunt, habent aliquid relatè ad vitam aeternam, vi cuius eam verè & propriè promerentur, quod actus contritionis, etiam perfectæ, sed justificationem præcedentis, non habet relatè ad justificationem, seu relatè ad iustitiam inhærentem, cuius infusione peccator ex iniusto fit iustus: unde eam nec promeretur, nec promereri potest verè & propriè; quamvis eam consequatur infallibiliter. Atqui illud, quod bona iustorum opera quæ in Deo facta sunt, habent relatè ad vitam aeternam, & quo caret contritio charitate perfecta relatè ad justificationem, quam præcedit, non potest esse, nisi quædam aequalitas. Ergo, &c.

Confirm. 3. Bona iustorum opera, quæ in Deo facta sunt, verè & propriè promerentur vitam aeternam, vel quia sunt ejusdem ordinis cum illa, & sic ad illam congruitatem proportionem quandam habent; vel quia vita aeterna iustis à Deo proposita, & promissa est sub conditione onerosa bonorum operum; vel denique, quia bona illa iustorum opera quandam habent cum vita aeterna aequalitatem. Non primum, aut secundum: nam contritio charitate perfecta, quæ justificationem præcedit, non eam promeretur verè & propriè, & tamen, 1. est ejusdem ordinis cum

Simonnet Theol. Tom. II.

inhærente iustitia, cuius infusione justificamur, & ita cum illa quandam habet congruitatem & proportionem. 2. Justificatio adultis peccatoribus à Deo proposita & promissa est extra Sacramentum sub conditione onerosa contritionis perfectæ, & ea exhibita, peccator adultus infallibiliter justificatur. Ergo tertium.

Obj. 1. Repugnat hominem habere verum jus iustitiæ respectu Dei. *R. dist.* Repugnat hominem habere respectu Dei verum jus iustitiæ, quod non sit profectum ex libera Dei institutione & promissione, C. Quod sit profectum ex libera Dei institutione & promissione, N. Nam tale jus esse in homine respectu Dei, satis apertè docet Scriptura, cum ait Deum esse iustum iudicem, & quia iustus iudex est, promissam iustitiæ coronam redditurum; iustum esse, ut reddat, ac fore injustum, si non redderet. Nulla autem ratio est, hic Scripturam in sensu improprio accipiendi.

Obj. 2. S. Augustinus negat Deum esse nostrum debitorem. Nam sic loquitur lib. 1. Confess. c. 4. *Reddis debita, nulli debens, donas debita, nihil perdens.* Ergo, &c. *R. S. Augustinus negat Deum esse nostrum debitorem absolute & independenter à libera promissione sua, ac gratiæ suæ largitione, At non negat illum esse debitorem nostrum dependenter à promissione, qua vitam aeternam ut mercedem promissit bonis meritis, quæ nobis donat, liberaliter movendo nos per gratiæ suæ auxilium, quomodo nobis congruit, ut exerceamus bona opera, in quibus consistunt bona nostra illa merita, quibus vita aeterna ut merces ab eo proposita est.*

Et verò S. Doctor loco citato dicit Deum reddere nobis debita. Ergo debitor noster est: non enim potest quis reddere debitum, nisi ipse debitor sit. Agnoscit igitur hic S. Doctor Deum esse debitorem nostrum: dicit tamen eum reddere debita, nihil debentem. 1. Quia non debet aliquid, purè vitam aeternam, nisi propter merita, quæ sunt ipsius dona: unde S. Doctor subdit Deum donare debita. Juxta S. Doctorem, Deus reddit & donat debita; reddit, quia verè debet; donat, quia non debet, nisi propter merita ab eo donata liberaliter.

2. S. Doctor dicit Deum reddere debita, nihil debentem, quia nihil debet, nisi ex libera promissione sua sic non debet iustis vitam aeternam propter bona eorum opera, nisi quia liberaliter promissit & proposuit vitam aeternam bonis iustorum operibus, ab eo liberaliter donandis.

Hanc suam doctrinam eleganter exponit S. Augustinus ferm. 16. de verbis Apostoli, ubi sic loquitur: *In his (bonis meritis) quæ jam habemus, laudemus Deum largitorem. In his (vita aeterna) quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini: Debes mihi quæ dedi tibi: & aliter dicimus: Debes mihi, quia promissisti mihi. Quando dicis: Debes mihi, quia dedi tibi; à te processit beneficium, sed mutuum, non donatum: quando autem dicis: Debes mihi, quia promissisti mihi; tu nihil dedisti, & tamen exigis. . . . Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce (dicendo scilicet illi: Redde mihi, quia dedi tibi) exigamus debitorem Deum. . . . Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promissisti, quia fecimus quod jussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti.*

Juxta S. Doctorem igitur, verè Deum tenemus nobis vitæ aeternæ debitorem, non quia à nobis accipit aliquid, sed quia nos ab illo accipimus, bona scilicet merita, pro quibus nobis vitam aeternam debet; & debet, quia illam bonis illis meritis liberè promissit. Unde Deo dicere quidem non possumus: Redde mihi, quia dedi tibi: sed possumus dicere: Redde, quia dedisti & promissisti; redde vitam aeternam, quia bona merita dedisti, pro quibus vitam aeternam promi-

fisti. Deus igitur, juxta S. Doctorem, debitor non sit est, non quia nos ipsum fecimus, sed quia se ipse fecit nobis debitorem, & largiendo nobis bona merita, & bonis illis meritis præmium proponendo.

Dices. S. Augustinus, lib. de grat. & lib. arb. dicit vitam æternam esse gratiam. *Insuper,* inquit, accipimus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur. R. S. Doctor dicit vitam æternam esse gratiam, non quòd debita non sit bonis meritis, quibus promissa & propolita est, sed quia bona merita, quibus debetur, sunt effectus gratiæ. Patet ex epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam; etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur. Nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.*

Dices. S. Augustinus in epistola mox laudata negat nobis, etiam si iusti & sancti simus, vitam æternam deberi. *Quid te,* inquit, *disponis extollere, & contrariam morti vitam æternam tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita æterna, vera iustitia est. Si autem vera iustitia est, ex te non est, desursum est, descendens à patre luminum, ut haberes eam. Si tamen habes eam, profecto accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, o homo, si accepturus es vitam æternam, iustitia quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita reddetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur.*

R. S. Doctor his verbis negat tantum vitam æternam nobis deberi in sensu hæretico Pelagianorum, hoc est, nobis deberi propter bona merita, quæ non sunt à Deo donata, utpote à solis arbitrii viribus profecta. Minime verò negat nobis deberi vitam æternam propter bona merita, nobis donata à Deo. Diferre enim asserit vitam æternam deberi ejusmodi bonis meritis, quæ cum à Deo nobis donata sunt, nostra sunt; adeoque illis vita æterna deberi non potest, quin simul propter illa, quia nostra sunt, verè debeatur nobis.

Dices. S. Augustinus, lib. de gr. & lib. arb. c. 9. docet vitam æternam esse puram gratiam. *Maluit,* inquit, *dicere:* Gratiam autem Dei vita æterna: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam sed pro sua miseratione producere. Ergo, &c. R. neg. ant. Nam hoc eodem loco expresse docet, vitam æternam esse stipendium iustitiæ, hoc est, bonorum operum, quæ à iustis in Deo sunt facta. Stipendium autem debetur & quidem ex iustitia, ut ipse ait epist. 105. ad Sixtum, ubi sic loquitur: *Stipendium,* inquit *Apostolus, peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur.*

Dicit itaque S. Doctor, non pro meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro sua miseratione perducere, non quòd vitam æternam bonis nostris operibus, velut coronam illis debitam, non retribuat, sed quòd bona illa opera, quibus debetur, & redditur vita æterna velut iusta merces & iustum stipendium, ipse in nobis pro sua misericordia operetur. Audiamus S. Doctorem. *Cum posset,* inquit, *dicere (Apostolus) & rectè dicere: Stipendium autem iustitiæ vita æterna: maluit dicere: Gratia autem Dei vita æterna: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo, homo dicit anima sua: Qui coronat te in miseratione & misericordia. Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille (Deus) in bonis operatur... ideo dixit Psalmus: Coronat te in miseratione & misericordia; quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Non autem redditur, nisi quòd debitum est: sicut non donatur, nisi quòd est indebitum.*

Dices. S. Augustinus, concione 2. in Psal. 70. dicit Deum nobis vitam æternam dare independentem à

meritis nostris. *Tua,* inquit, *peccata sunt, merita Dei sunt: supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* R. S. Doctorem, cum hic expresse agnoscat vitam æternam esse præmium, non excludere quodlibet meritum vitæ æternæ; nam omne præmium est alicujus meriti præmium; & ita si vita æterna est præmium bonorum aliquorum operum, bona aliqua opera sunt merita vitæ æternæ.

Hic itaque S. Doctor excludit tantum merita humana, hoc est, merita ex solis arbitrii viribus profecta, qualia nulla esse possunt relatè ad vitam æternam, & qualibus tamen asserbant Pelagiani vitam æternam, ut coronam & præmium esse retribuentiam. Minime verò excludit merita non humana, hoc est, merita ex prævenientis & adjuvantis gratiæ viribus facta, quæ proinde sic sunt nostra merita, ut sint etiam Dei dona. Juxta mentem igitur S. Doctoris, Deus, cum præmium venerit, seu cum reddet vitam æternam iustis in statu gratiæ defunctis, sua dona coronabit, non eorum merita, quatenus non coronabit merita merè humana, & ex solis arbitrii viribus profecta, sed coronabit merita facta ex viribus prævenientis & adjuvantis interioris gratiæ, non solum illustrantis intellectum, sed etiam voluntatem immediate tangentis, lanantis & corroborantis ad operandum sicut oportuit ad salutem; atque ita coronando talia merita, sua dona coronabit.

Hoc igitur loco, qui nobis objicitur, & aliis similibus, S. Doctor petit Pelagianam hæresim, merita merè humana importunè extollemem: nec improbat in Pelagianis, quòd dicerent vitam reddi bonis meritis, velut mercedem illis debitam, sed quòd velent ad bona illa merita, quibus vita æterna velut merces debita redditur, arbitrii vires sufficere; adeoque hominem bona illa merita, non à Deo per indebitum & misericorditer donatum interioris gratiæ prævenientis & adjuvantis auxilium, sed à se per solas arbitrii vires cum concursu generali naturaliter debito habere.

Patet hoc ex lib. de grat. & lib. arb. c. 6. ubi sic loquitur: *Cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, quæ homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in finem, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intellexerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus: Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? ... Prorsus talia cogitanti verissime dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt: quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt, quia, sicut dicit Apostolus, Jacobus, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Dices denique, S. Augustinus, serm. 15. de verbis Apostoli, dicit nos à Deo salvari gratis, & independentem ab omni merito: nam sic ait: *Pro nihilo*, inquit *Plates regius, salvos facies eos. Quid est, Pro nihilo salvos facies? Nihil in eis invenies unde salves, & tamen salvas, gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita tua. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenies unde salves, & multum invenies unde damnes. Ergo, &c.*

R. S. Doctorem hic, sicut & in aliis similibus locis, excludere tantum merita, quæ non sint effectus gratiæ & dona Dei. Juxta S. Doctorem, Deus antequam donet nobis suam gratiam, nulla invenit in nobis bona merita, propter quæ nos salvere possit, sed è contra multa invenit mala merita, propter quæ nos damnare posset; & tamen nos salvat, gratis nos justificando, & gratis justificatos gratis movendo & adjuvando ad exercenda opera salutaria, quibus vitam æternam ut mercedem gratis proposuit ac promissit. Gra-

tis

tis salvat, quia gratis dat, & prorsus gratis sal-
vat, quia prorsus gratis dat vitam æternam. Pro-
suis autem gratis dat vitam æternam, non quia dat
nulla prorsus habentibus bona merita, sed quia dat
nulla habentibus bona merita, quæ non fuerint ab
eo donata.

Breviter, quid hic intendit S. Doctor? Nulla bona
merita, quibus vita æterna velut merces deberetur &
redditur, esse in nobis ex nobis, hoc est, esse in no-
bis ex folis naturæ viribus sine auxilio interioris gra-
tiæ, adeoque nulla gratiam, sed gratiam omnia præ-
cedere. Unde S. Doctor ante verba, quæ nobis ob-
ijciuntur, proxime sic ait: *Non potest promerendo ac-
cepisse, qui non promereres, nisi accepisses. Gratia præ-
cepit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meri-
tum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisit, non
gratis accepisti, Pro nihilo, inquit, saluos, &c.*

Obj. 3. Non potest esse iustitia inter Dominum &
& servum. Ergo non potest esse inter Deum & crea-
turam. *Prob. consequentia.* Iustitia non potest esse
inter Dominum & servum, quia iustitia est ad alte-
rum, & servus non est alter à Domino, sed est aliquid
Domini. Atqui pariter creatura est aliquid Dei. Er-
go, &c. R. posse iustitiam esse inter servum & Domi-
num in iis, in quibus servus, sive ex dispositione le-
gis, sive ex conventione, sive ex voluntate Domini,
sui juris est. Similiter, iustitia potest esse inter Deum
& hominem in iis, in quibus hominem sui juris esse
vult, & cum homine velut emancipato & sui juris
facto agit Deus. Sic autem agit Deus cum homine,
cum illi proponit, & promittit vitam æternam ut
mercedem sub conditione onerosa operum salutarium,
cum mercede proposita & promissa aliqua modo æ-
qualium: hoc ipso enim vult opera illa salutaria, quæ
sunt ipsius dona, esse propria & sua hominis merita,
& hominem esse sui juris quantum ad illa. Quare si
homo salutaria illa opera exhibeat Deo, licet donan-
te ipso Deo, exhibet Deo aliquid suum, mercedi pro-
missa & proposita aliquo modo æquale: adeoque Deus
mercedem propositam & promissam reddere tenetur
ex iustitia. Deus igitur, non quidem ab homine, sed
à se ipso obligari potest homini ex iustitia.

Porro hæc iustitia, cujus obligationem in se libera-
liter suscipit Deus erga hominem, non est iustitia le-
galis, aut distributiva: utraque enim respicit ius fun-
damentum in titulo communitatis: sed est iustitia commu-
tativa, quæ respicit iura privata privatorum qua ta-
lium, & ad quam pertinent commutationes, in qui-
bus tantum pro tanto redditur, nec dic neminem al-
teri obligari posse ex iustitia commutativa, nisi ab il-
lo accipiat aliquid sibi commodum & utile, nihil au-
tem tale Deum ab homine posse accipere. Nam ut
quis ex iustitia commutativa obligetur alteri, satis
est si ab eo aliquid sibi gratum ex promissione & con-
ventionione mercedis accipiat.

Dices. Si Deus obligaret se homini ex iustitia,
spoliaret se supremo illo dominio, quod habet in ho-
minem & omnia ejus bona. R. neg. Itaque quando
Deus paciscitur cum homine, proponendo & pro-
mittendo illi vitam æternam ut mercedem sub con-
ditione onerosa operum salutarium, non spoliatur se
supremo illo jure, vi cuius creata omnia essentiali-
ter manent in ejus potestate, adeoque illa ut sua &
sibi debita repetere semper potest; sed solum non
utitur jure illo, cui subordinatum semper manet ius
quod homini tribuit in bona opera, quæ, ipso do-
nante, exercet homo, cuius proinde non sunt pro-
pria & sua bona, seu merita, nisi quia Deus vult,
& quandiu vult.

Deus igitur, salvo supremo illo jure, quod essen-
tialiter habet in res omnes creatas, hominem gratis
iustificat, & in filium adoptivum, in ordine ad
vitam æternam bonis operibus verè ac propriè pro-
merendam sui juris facit, illi proponendo vitam æter-
nam ut mercedem bonis operibus, si exhibeantur, re-
tribuendam, Dixi, salvo, &c. Nam sic hominem sui
juris facit in ordine ad vitam, &c. ut nihilominus ho-
mo cum omnibus bonis suis remaneat in ejus potesta-
te.

Simonnet Theol. Tom. II.

te: ita ut adhuc possit bona ejus opera omnia, ut fi-
bi debita, gratis repetere in sensu diviso propositionis
vitæ æternæ, ut mercedis illis operibus, si fiant retri-
buenda. Dico, in sensu diviso: non enim potest sic
opera illa repetere in sensu composito hujus propo-
sitionis, Unde stante hac propositione, & homine ope-
ra bona, quibus vita æterna promissa est, exhibente,
arqui in statu gratiæ decedente, non posset Deus abs-
que iniustitia non retribuere vitam æternam.

Obj. 4. Scriptura docet opera meritoria justorum
non habere æqualitatem cum mercede gloriæ æternæ.
Nam v.g. Rom. c. 8. dicitur: *Non sunt condigna passio-
nes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revela-
bitur in nobis.* R. Scripturam hoc loco, & aliis si-
milibus, loqui de bonis justorum operibus, sumptis
præcisè secundum propriam excellentiam, vel etiam
secundum propriam excellentiam simul & dignitatem
personæ, à qua fiunt. Utrovis autem modo præci-
sè sumantur non habent condignitatem ad mercedem
æternæ gloriæ. At si considerentur non solum se-
cundum propriam excellentiam & dignitatem perso-
næ, cujus sunt, sed etiam secundum dignitatem
personæ præmii retribuentis, & personæ propter
quam præmium retribuitur, condignitatem illam ha-
bent. Pro quo.

Nota. Opera, quibus iusti merentur, eam habent
intrinsecam excellentiam, ut si non exercentur à
persona absolute vili, qualis est homo existens in sta-
tu peccati, digna sint præmio magno relatè ad di-
gnitatem personæ præmiandæ, dignitatem personæ
præmii retribuentis, & dignitatem personæ, pro-
pter quam præmium retribuitur, simul & indivisi-
bilitè consideratas. Tale autem præmium non est ali-
quod in æstimatione prudenti infra gloriam æter-
nam. Nisi enim Deus præmiando opera salutaria ju-
storum propter Christum, retribuatur illis gloriam æ-
ternam, in æstimatione prudenti non censetur re-
tribuere aliquid magnum relatè ad dignitatem amici
& filii adoptivi Dei, dignitatem Dei, & dignitatem
Christi, simul & indivisibilitè sumptas.

Itaque dignitas personæ præmiandæ, dignitas Dei
præmii retribuentis, & dignitas Christi, propter
quem præmium retribuitur, simul & indivisibilitè
sumptas, se habent ad modum formæ morales, mo-
raliter intrinsecæ operibus meritoris iusti, & valo-
rem intrinsecum, quem habent à propria excellen-
tia, insistant secundum quid in æstimatione mora-
li, atque sic infinitando, moralem illi tribuunt æ-
qualitatem cum mercede gloriæ æternæ.

ARTICULUS III.

*Quid ex parte Dei, & ex parte hominis, requiratur
ad meritum de condigno.*

RESPONSIO I.

AD meritum de condigno ex parte Dei requiri-
tur mercedis promissio.

Prob. Ad meritum de condigno requiritur obliga-
tio ad reddendam mercedem. Nam mereri de condi-
gno apud aliquem, nil aliud esse potest, quam illum
obligare, vel obligari ad reddendam mercedem pro-
pter opus aliquod mercedi aliquo modo æquale ex-
hibendum. Atqui Deus obligari non potest ad reddendam
mercedem homini propter bona opera, etiam
mercedi æqualia, nisi ipse operibus illis mercedem
proposuerit, & promiserit. Ergo, &c.

Prob. min. Nam Deus est essentialiter supremus re-
rum omnium Dominus. Ergo omnia creaturarum
obsequia titulo gratitudinis, & aliis multis exigere
potest tanquam sibi debita. Ergo nulli creaturæ de-
bitor fieri potest, nisi ipse voluerit, proponendo sci-
licet illi & promittendo mercedem sub conditione
talium operum mercedi aliquo modo æqualium;
atque ita cum illa ut sui quoad hoc juris facta, li-
bere paciscendo.

Hinc illud S. Augustini, serm. 16. de verbis Apostoli:

I 3 De-

Debitor factus est (nobis Deus) non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit, promittendo. Et illud ejusdem in Psal. 83. Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Hinc illud S. Fulgentii in prologo librorum ad Monimum: Sua largitate dignatus est (Deus) se facere debitorem. Hinc S. Celestinus in epist. ad Gallos, cap. 12. dicit tantam esse Dei erga nos misericordiam, ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Hinc denique Tridentinum, sess. 6. cap. 16. monet iustificatis proponendam esse vitam æternam, & tanquam gratiam filius Dei per Jesum Christum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam.

Obj. Si promissio Dei requiritur ad rationem meriti, multi iusti per bona opera non meruerunt vitam æternam. Nam promissio non obligat, nisi facta acceptetur. At multi iusti promissionem illam Dei non acceptarunt, nec acceptare potuerunt, cum eam ignoraverint. Item merita per peccatum subsequens mortificata non reviviscunt. Item Christus apud Patrem meritis non est in rigore iustitiæ. Item Christus antiquis patribus non meruit gratiam, quam habuerunt; cum illam acceperint ante adventum Christi, adeoque antequam de illa danda promissio fieret Christo, & ab eo acceptaretur. Atqui consequens absurdum est quoad omnes partes. Ergo, &c.

R. ad 1. Nullus unquam adultus iustus fuit sine fide, qua creditur non solum Deum existere, sed etiam eum vitam æternam bonis iustorum operibus ut mercedem retribuere, ut patet ex Apostolo Hebr. cap. 11. dicente: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit: adeoque nullus unquam adultus iustus fuit, qui non cognosceret vel distinctè, vel saltem confusè promissionem à Deo factam de vita æterna, ut mercede bonis iustorum operibus retribuenda. Quam promissionem adultus quilibet iustus, re ipsa vitam æternam sperando, & ad eam consequendam bona opera exercendo, facit saltem, quod sufficit, acceptat.

R. ad 2. Promissio de æterna gloria bonis iustorum operibus sub conditione simplicis in statu gratiæ decessus retribuenda sufficienter constat, sufficienter nota est fidelibus, & ab eis sufficienter acceptatur, hoc ipso quod credunt Deum esse bonorum operum remuneratorem eo modo, quo ipse revelavit Ecclesiæ; & re ipsa bona opera eo modo, quo ipse Ecclesiæ revelavit, remuneraturum esse sperant, & ex tali spe bonis operibus consequendæ mercedis gratia incumbunt.

R. ad 3. Christus apud Patrem meritis est in rigore iustitiæ, eo tantum sensu quod Patri obtulerit opera meritoria præmio mathematicè aequalia, & quantà ad præmium potuerunt iustè exigi; non verò eo sensu, quod Patrem ad reddendum præmium obligarit, aut obligare potuerit independenter ab ejus libera promissione & ordinatione: potuit enim Deus Pater obsequia Christi non acceptare pro salute hominum, vel etiam ea tanquam sibi debita, gratis repetere, & homines in æterna damnatione relinquere.

R. ad 4. Ad hoc ut Christus antiquis patribus gratiam meruerit, necessarium tantum fuit, 1. ut Deus absolutè præviderit promissionem à se faciendam Christo, Christi acceptionem, & opera à Christo inruitu hujus promissionis à se acceptata exhibenda. 2. Ut propter hæc opera absolutè futura, & absolutè prævisa, gratiam velut mercedem anticipatam dederit. Quod omnino potuit fieri, quia non solum meritum actu præsens, sed etiam meritum absolutè futurum, & absolutè prævisum, præsertim si sit prævisum infallibiliter, ad anticipandam mercedem efficaciter movere potest voluntatem remuneratoris.

RESPONSIO II.

Ad meritum de condigno requiritur ex parte hominis status viatoris.

Ab omnibus sine controversia admittitur, & in Scriptura pluribus locis sufficienter exprimitur, ut Joan. c. 9. ubi Christus dicit: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi per noctem Christus mortem intelligit, postquam ait neminem operari posse meritorie. Et Gal. c. 6. ubi Apostolus fideles ad opera meritoria adhortatur his verbis: *Dum tempus habemus, operemur bonum, hoc est, dum hanc mortalem vitam vivimus, &c.* Ratio à priori est voluntas Dei, qui hujus mortalis vitæ spatium nobis constituit ad operandam salutem nostram, illam bonis operibus promerendo.

RESPONSIO III.

Ad meritum de condigno ex parte hominis, requiritur etiam ut sit iustus, & filius Dei adoptivus.

*Prob. 1. ex Scriptura. Nam Rom. cap. 8. Apostolus dicit: Si autem filii, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Quibus verbis, cum ait vitam æternam esse hereditatem ad solos Dei filios pertinentem, manifestè significat solos Dei filios vitam æternam bonis operibus promereri posse. Item 1. Cor. c. 13. dicit idem Apostolus: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Itaque, juxta Apostolum, ipsummer martyrium ad vitam æternam promerendam inutile est non habenti charitatem, adeoque non existenti in statu amicitiae & adoptionis divinæ. Quod autem de martyrio ait Apostolus, à fortiori intelligendum est de quolibet alio opere salutari. Denique Christus ipse sic loquitur Joan. c. 15. *Sicut palmæ non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Juxta Christum igitur, non possumus ferre fructus iustitiæ, hoc est, opera vitæ æternæ meritoria exercere, nisi maneamus in ipso, per fidem scilicet, quæ per charitatem operatur, ut interpretantur Patres, adeoque si non sumus amici Dei, & filii ejus adoptivi.*

Prob. 2. ex Patribus. Nam sic ait S. Augustinus, lib. de fide & operibus, c. 14. Sequuntur (nempe opera vitæ æternæ meritoria) iustificatum, non præcedunt iustificandum. Et S. Prosper in responsionibus ad capitula Gallorum, c. 6. Iustificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirit & meritum.

Prob. 3. ex Tridentino, sess. 6. cap. 16. ubi dicitur: Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Juxta Tridentinum, filius Dei adoptivus, & non alius, vita æterna promissa est, eorumque, & non aliorum bonis operibus ac meritis tanquam merces retribuitur.

Prob. 4. autoritate summorum Pontificum, qui has Baii propositiones damnaverunt: Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non esse regni caelestis meritorium: sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublevetur ad statum deificum. Ratio à priori est, quia, ut faciliè intelligitur ex dictis Art. superioris ad Objectionem 4. opera bona sine operantis dignitate, quæ ex amici Dei & filii ejus adoptivi prærogativa oritur, nec habet, nec habere possunt in æstimatione prudenti aequalitatem cum mercede vitæ æternæ.

ARTICULUS IV.

Quid ad meritum de condigno requiritur ex parte operis.

RESPONSIO. I.

Ad meritum de condigno requiritur, ut sit actus à voluntate elicitus, aut saltem imperatus.

Prob. Nam meritum est actus voluntarius, qui fit in obsequium alterius, & habet ordinem ad retributionem. Atqui talis actus elicitur, aut saltem imperatur à voluntate. Ergo, &c. Minor per se patet. Prob. maj. Quia

Quia mereri apud aliquem, non est aliud, quam eum per obsequium aliquod in ejus gratiam vel utilitatem exhibitum, sibi devincere, & ad mercedem retribuendam obligare.

RESPONSIO II.

Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit liber non solum à violenta, sed etiam à voluntaria necessitate.

Est de fide contra Jansenium, cujus doctrina hac propositione, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, contenta, ut hæretica damnata est ab Innocentio X. Accedit autoritas Patrum, quorum unum hic laudare juvat, Hieronimum scilicet, ita loquentem, lib. 2. contra Jovinianum: *Nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est.*

RESPONSIO III.

Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit moraliter bonus & honestus.

Prob. Quia 1. Scriptura non tribuit rationem meriti, nisi actibus honestis. 2. Tridentinum non alia opera vitæ æternæ meritoria agnoscit, præter opera hominis justificati in Deo facta. 3. Opera mala non mercedem sed pœnam merentur; indifferentia verò non magis mercede, quam pœna digna sunt. 4. denique, ut opus aliquod sit apud Deum meritorium, debet habere erga illum rationem obsequii. Atqui hanc rationem erga illum habere non potest, nisi sit ei gratum & acceptum, quale profectò esse non potest, nisi sit bonum moraliter & honestum. Ergo, &c.

RESPONSIO IV.

Ad meritum de condigno vitæ æternæ, requiritur denique, ut actus sit elicitus, vel saltem imperatus à charitate.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam 1. Cor. cap. 13. dicit Apostolus, fidem, & alias virtutes ad promerendam vitam æternam non prodesse absque charitate. *Si habuerò, inquit, omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuerò, nihil sum.* Hic autem intelligit charitatem non solum habitalem & quasi otiosam, sed operantem, eliciendo proprios actus, vel actus aliarum virtutum imperando, ut patet ex subsequentibus: loquens enim de charitate, sine qua se in ordine ad vitam æternam nihil esse dixit, sic prolequitur: *Charitas pater est, benigna est, &c.* Et Gal. c. 5. hæc habet: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet* (in ordine ad promerendam vitam æternam,) *neque praprium; sed fides, que per charitatem operatur.* Fides autem operatur per charitatem, illam excitando, & per illam virtutes alias actus proprios movendo & applicando.

Hinc fideles adhortatur Apostolus, ut omnia sua opera faciant ex motivo charitatis. *Omnia vestra in charitate fiant.* 1. Cor. c. 16. *Veritatem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Eph. c. 4. *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes; in omni opere bono sanctificantes.* Coloss. c. 1. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. c. 10.

Prob. 2. ex S. Augustino. Nam, 1. lib. de grat. & lib. arb. c. 18. expresse asserit, sine charitate nihil bene fieri, hoc est, nihil fieri sicut oportet ad promerendam vitam æternam. *Hæc omnia, inquit, præcepta dilectionis, id est, charitatis, quæ tanta & talia sunt; ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene: hæc ergo præcepta.* Nec juvat dicere, quòd hic nomine charitatis, S. Doctor, præcisè intelligat amorem boni honesti quæ talis. Nam ex contextu manifestum est S. Doctorem charitatem intelligere, quæ Deus propter se, & proximum propter Deum diligitur.

2. Lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 15. affirmat omnem virtutem, quæ vitam æternam promeremur, esse *Simonnet Theol. Tom. II.*

charitatem. *Quòd si virtus, inquit, ad beatam vitam nos ducit* (hoc est, quòd ea omnis & sola virtus dicenda est, quæ vitam æternam promeremur) *nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Sic autem loquitur S. Doctor, non quòd putaverit unicum esse formale objectum virtutum omnium nempe, objectum formale charitatis; sed quia existimavit actus aliarum virtutum, quæ proprium habent motivum, & à charitatis motivo diversum, non esse æternæ gloriæ meritorios, sine actu charitatis, à quo imperentur.

Propter eandem rationem, eodem capite virtutes alias, temperantiam scilicet justitiam, fortitudinem & prudentiam, ait definiri posse per charitatem. *Illas quatuor, inquit, virtutes ... sic etiam definire non dubitem: ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur: fortitudo amor, facile tolerans omnia propter quod amatur: justitia amor, soli amato serviens, & propterea rectè dominans: prudentia amor, ea quibus adjuvatur, ab eis à quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus ... Quare definire etiam sic licet: ut temperantiam dicamus esse amorem, Deo sese integrum incorruptumque servantem: fortitudinem amorem, omnia propter Deum facile perferentem: justitiam amorem, Deo tantum servientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subiecta sunt: prudentiam amorem, bene discernentem ea, quibus adjuvetur in Deum, ab iis, quibus impediri potest.*

Juxta S. Doctorem igitur, in homine iusto, ad æternam beatitudinem tendente, & sicut oportet ad eam promerendam operante in materia virtutum moralium, temperantia (idem dic de qualibet alia virtute morali) est veluti complexum ex charitate & ipsa temperantia, ex charitate quidem, ut imperante actum proprium temperantiæ, & ex ipsa temperantia, ut actum proprium ex motivo sibi proprio exercente ex imperio charitatis.

In doctrina S. Augustini, temperantia, quatenus per eam actus æternæ beatitudinis meritorii exercentur (idem dic de qualibet alia virtute morali sub eadem consideratione) duplex habet motivum, intrinsecum scilicet & extrinsecum. Motivum intrinsecum temperantiæ, quod & ipsi proprium est, est honestas illa specialis, propter quam actus sibi proprios exercet: ejus verò motivum extrinsecum, quòd & illi commune est cum omnibus aliis virtutibus moralibus, est divina bonitas, propter quam actus sibi proprios exercent ex affectu specialis illius honestatis, quàm per se & intrinsecè spectat.

Temperantia spectata præcisè secundum motivum intrinsecum, est præcisè temperantia, hoc est, specialis illa virtus moralis, quæ specialem honestatem, in moderati cibi & potus sumptione relucens, intrinsecè spectat. Sumpta præcisè secundum motivum extrinsecum, est præcisè charitas, seu virtus illa theologica, quæ Deus propter se diligitur, & quæ ad Deum propter se dilectum actus temperantiæ proprius refertur. Sumpta denique secundum utrumque motivum, est temperantia, & charitas, vel, si vis, est totum quoddam morale, ex virtute speciali temperantiæ & charitate resultans, in quo toto temperantia verò habet ad modum partis materialis, charitas verò ad modum partis formalis, quia in illo toto charitas format & perficit temperantiam, actum ejus ordinando ad Deum propter se amatum, illumque hac ordinatione elevando ad esse actus meritorii æternæ beatitudinis.

Virtutum moralium, quatenus scilicet ad æternam beatitudinem promerendam valent, motivum extrinsecum unum & idem est, nempe motivum charitatis: unde spectata secundum motivum extrinsecum, sunt una & eadem virtus, nempe charitas. Hoc dicit S. Augustinus, cum ait: *Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.* Motivum verò intrinsecum non unum est, sed multiplex, & toruplex, quoniam est specialis honestas, ex cuius affectu homo

potest operari, siue propter illam operetur ex imperio & applicatione charitatis, siue non. Unde virtutes morales, etiam cum per illas exercentur actus meritorii aeternae beatitudinis, spectatae secundum motum intrinsecum, non sunt una & eadem virtus, sed virtutes distinctae & diversae non solum ratione officiorum, circa quae occupantur, & quorum diversitas materialem tantum facere potest virtutum diversitatem, sed etiam ratione honestatis, quam intrinsecè spectant, & ex cuius diversitate non potest non oriri formalis virtutum diversitas, proindeque & distinctio ac multiplicitas formalis virtutum. Hanc virtutum multipliciter manifestè agnoscit S. Doctor, lib. de moribus Ecclesiae, ubi postquam cap. 15. virtutes cardinales definit per amorem Dei, statim sic prosequitur, cap. 16. *Hisdem singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius, &c.*

Prob. 3. resp. ex S. Thoma, qui doctrinam nostram expresse tradit, 1. 1. 2. qu. 114. a. 4. ubi sic loquitur in O. Motus humane mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vite aeternae primò pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus à charitate imperantur. Et in resp. ad 3. Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur... similiter etiam actus patientiae & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hac operetur.

2. 2. 2. qu. 124. a. 2. ad 2. ubi haec habet: *Ad actum martyrii inclinatur quidem charitas, sicut primum & principale motum per modum virtutis imperantis, fortitudo autem sicut motum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde est, quod martyrium est actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem, ut elicientis... Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate (imperante scilicet) & quilibet virtutis actus: & ideo sine charitate (imperante) non valet (ad vitam aeternam promerendam.) Et quaest. 2. in O. Omnis actus humanus, qui subicitur libero arbitrio, si sit relatus in Deum potest meritorius esse.*

Prob. 4. ratione duplici. Nam 1. ut opera iustorum sint meritoria apud Deum, requiritur ut fiant in obsequium Dei. Atqui non fiunt in obsequium Dei, nisi ex affectu placendi illi fiant, adeoque nisi fiant aut imperentur à charitate. Ergo, &c. 2. Iusti vitam aeternam mereri non possunt, nisi per actus illos, quibus Deus proposuit & promissit vitam aeternam ut mercedem. Atqui Deus proposuit & promissit vitam aeternam ut mercedem illis tantum actibus, qui fierent aut imperarentur à charitate. Ergo, &c.

Major patet ex dictis Art. superiore. Minor verò sufficienter colligitur ex Scriptura variis locis. Sit hic unus aut alter pro omnibus. Itaque 1. Cor. c. 2. dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Et Jacobi epist. cap. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromissit Deus diligentibus se.*

*Obj. 1. Scriptura variis locis promittit vitam aeternam bonis operibus sine conditione operandi formaliter ex charitate. R. neg. In locis enim Scripturae, in quibus nulla sit expressa mentio huius conditionis, haec conditio necessariò subintelligenda est: sicut necessariò subintelligenda est conditio operandi ex fide, & subintelligendus est status iustitiae & adoptionis divinae in operante. Addo conditionem operandi formaliter ex charitate expresse asserit in Scriptura, ut Matth. cap. 19. ubi Christus ait: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.* Et Marci, cap. 9. ubi etiam dicit Christus: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo... amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quid enim est, opus aliquod bonum facere propter no-*

men, in nomine Christi, nisi illud facere ex affectu placendi Christo?

*Obj. 2. Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 16. ad meritum de condigno tres tantum condiciones requirit, videlicet ut opera sint bona, ut fiant à iustis ex influxu gratiae, & ut fiant in Deo. R. breviter, opera bona non fieri in Deo, nisi procedant à charitate, vel ut eliciente, vel saltem ut imperante; adeoque cum Synodus ad meritum de condigno requirit, ut opera bona fiant in Deo, implicite requirit, ut à charitate eliciantur, vel saltem imperentur. Unde cum eadem Synodus ait, cap. 10. iustificatos crescere, & magis iustificari per observationem mandatorum Dei, fide cooperante bonis operibus, hoc dicit, salvo charitatis influxu, ut non contradicat Apostolo dicenti Gal. cap. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed fides quae per dilectionem operatur.**

Obj. 3. Supposita veritate doctrinae nostrae, aliae virtutes praeter charitatem nihil habent meriti vitae aeternae. Item innumera sunt bona opera inutilia apud Deum. R. ad 1. neg. Licet enim nulla alia virtus per se solam, & seculo actu charitatis, meritum vitae aeternae habeat; omnes cum actu charitatis illas ad operandum applicantes, vim habent merendi vitam aeternam, & re ipsa in homine iusto merentur secundum bonitatis suae gradum, secundum quem Deo gratiae sunt & amabiles.

R. ad 2. etiam neg. Quamvis enim aliarum virtutum actus sine actu charitatis non sint meritorii vitae aeternae, non ideo sine actu charitatis sunt inutiles: valent enim per se ad vitanda peccata, ad servanda mandata divina, ad augendos habitus virtutum acquiratarum, ad imperandas gratias, &c. Praeterea, videtur intolerabile quod hic supponitur, nempe à iustis hominibus innumera deliberatè fieri bona opera sine ullo affectu Deo per illa placendi. Hoc enim planè videtur falsum, & contrarium experientiae, qua docemur homines, qui vitam verè christianam agunt, vix unquam virtutes christianas, quae tales, exercere, nisi ut Deo placeant, eique se commendent. Et verò iusti opera verè christiana exercere non possunt sine instinctu Spiritus Sancti, quem illos ut plurimum ad operandum propter solam honestatem virtutis, in cuius materia operantur, raro verò ad operandum etiam quia honestas illa Deo grata est & amabilis, efficaciter movere, nunquam crediderim.

Huc pertinet illud Apostoli Rom. cap. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Juxta Apostolum, qui in agendo sequuntur instinctum Spiritus Sancti, ii sunt filii Dei, hoc est, agunt, ut Dei filios decet, & agunt ut decet filios Dei, quia bonum agunt, ut placeant Deo, & quia Deum diligunt: Spiritus enim Sanctus, ut agamus, agit nos per charitatem, quam diffundit in cordibus nostris. Unde subicit Apostolus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo (filiali affectu, & prae amoris ténacitate) clamamus: Abba, pater.*

Obj. 4. In homine iusto actus virtutum moralium infusarum habent secundum se, & praeciso actu charitatis, à quo imperentur, sufficientem proportionem cum vita aeterna ut mercede. Ergo etiam non imperentur à charitate, vim habent merendi, & re ipsa merentur vitam aeternam. R. 1. neg. conf. Nam etiam dato, quod actus illi secundum se proportionem habeant cum vita aeterna ut mercede, tamen adhuc ad hoc ut illam merendi vim habeant & re ipsa mereantur, requiritur promissio illius ut mercedis retribuendae, à Deo facta. Hanc autem promissionem non habent, nisi fiant in obsequium Dei, nec fiunt in obsequium Dei, nisi imperentur à charitate.

R. 2. neg. ant. Nam ut actus illi proportionem habeant cum vita aeterna ut mercede, requiritur moralis aequalitas, quam nec habent, nec habere possunt sine charitatis actu, à quo imperentur; tum quia haec aequalitas pendet ex parte à dignitate personae Christi,

pro-

propter quem Deus bonis operibus vitam æternam ut mercedem proponit & promittit; tum quia hæc æqualitas requirit in actu meritorio aliquem excellentiæ gradum, quem actus virtutum moralium etiam infusarum non habent secundum se, & quem accipiunt à charitate, cum ab ea imperantur. Unde cum imperantur à charitate, & actu ad Deum ordinantur, dicuntur ab ea formari & perfici, in ordine scilicet ad promerendam vitam æternam, ut docet sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 4. art. 3. Sine hac autem auctuali ad Deum ordinatione, per charitatem facta, actus aliarum virtutum sunt informes & imperfecti, hoc est, ad mercedem vitæ æternæ promerendam insufficientes.

ARTICULUS V.

Utrum actus imperatus addat aliquid ad meritum actus imperantis.

Nota. Actus imperati à voluntate alii sunt interni, & alii externi. Interni sunt actus ipsiusmet voluntatis, quæ per unum actum sibi imperare potest alium, sive, quod idem est, se ipsam per unum actum excitare & applicare ad exercendum alium. Externi sunt actus aliarum potentiarum, videlicet intellectus, sensuum interiorum & exteriorum, potentiarum motricis, seu exteriorum membrorum.

Nota iterum. Actus interni imperati, ab externis imperatis differunt. 1. In eo quod sunt per se & intrinsecè voluntarii: quia à voluntate eliciuntur, nec nisi à voluntate elici possunt: externi verò non sunt voluntarii, nisi mediatè & extrinsecè, per denominationem scilicet extrinsecam, petitam ab actu voluntatis, à quo voluntariè imperantur. 2. In eo quod possint esse immediatè liberi, & sint, si à voluntate exerceantur sine antecedenti ad unum prædeterminatione, orta sive à Deo, sive ab ipsa voluntate: externi verò non sunt nisi mediatè & extrinsecè liberi: eatenus enim possunt esse liberi, & sunt, quatenus imperari possunt, & imperantur ab actu libero voluntatis, quæ cum sola sit actum suorum domina, sola potest per se & immediatè liberè agere.

RESPONSIO I.

Actus internus per se & intrinsecè bonus, & liberè elicitus, addit aliquid ad meritum actus imperantis; ita ut ex utroque existat majus meritum, quam ex solo imperante.

Prob. Nam v. gr. actus misericordiæ, liberè elicitus, addit aliquid ad meritum actus charitatis, à quo imperatur: ita ut homo plus mereatur per actum misericordiæ & charitatis simul, quam per solum actum charitatis. Ergo, &c.

Prob. ant. Nam actus misericordiæ, liberè elicitus, & à charitate imperatus, habet propriam bonitatem formalem, & moralem laudabilitatem, distinctam à bonitate formali, & morali laudabilitate actus charitatis, ipsum imperantis. Ergo & habet propriam & distinctam rationem meriti.

Prob. conseq. Nam si non habet, certè quia deest ei aliquid, ad hoc requisitum. Atqui hoc dici non potest: nam, ut supponitur, fit ab homine iusto, fit ex instinctu Spiritus Sancti, fit liberè, fit ex imperio charitatis, & ad ejus finem refertur, habet promissionem vitæ æternæ ut mercedis: Deus enim non solis actibus charitatis, sed generaliter omnibus omnino operibus bonis ab homine iusto liberè factis in Deo, proposuit & promisit vitam æternam, ut mercedem eis, si fiant, retribuendam, ut docet Trident. sess. 6. cap. 16. Ergo in suppositione facta, actus misericordiæ habet propriam & distinctam rationem meriti. Ergo, &c.

Confirm. Resp. Quod facit aliquid melius formaliter, & moraliter laudabilius, facit aliquid majus in

ratione meriti. Atqui complexum ex actu misericordiæ & actu charitatis ipsum imperante, facit aliquid melius formaliter, & moraliter laudabilius, quam solus actus charitatis; cum uterque actus propriam & distinctam habeat formalem bonitatem & laudabilitatem moralem. Ergo, &c.

Dixi autem, 1. per se & intrinsecè bonus: nam si actus voluntatis imperatus solum extrinsecè bonus est, hoc est, solum bonus est ratione actus imperantis, & boni finis extrinseci, ad quem per actum imperantem refertur, cum actu imperante non facit aliquid majus in ratione meriti, quam solus actus imperans. Ratio est, quia nec habet, nec habere potest propriam & distinctam rationem meriti; cum non habeat honestatem propriam, & distinctam ab honestate actus imperantis.

Dixi, 2. liberè elicitus: quia ut Art. superiore ostensum est, libertas actus est conditio ad meritum necessariè requisita. Unde actus voluntatis imperatus non potest habere rationem meriti propriam, & distinctam à meriti ratione, quæ propria est actus imperantis, nisi habeat libertatem propriam, & distinctam ab actus imperantis libertate. Itaque ut actus internus imperatus, etiam per se & intrinsecè bonus, addat aliquid ad meritum actus imperantis, necesse est ut eliciatur liberè, quod fieri potest duobus modis. 1. Si imperetur tantum in futurum: nam tunc voluntas propositum suum mutare potest, & sic ab actu, quem sibi imperavit, abstinere. 2. Si imperetur in præsens, sed ita ut voluntas imperio suo reluctari possit, quod reverà potest voluntas, quoties imperat sibi, non despoticè, sed per modum suasionis.

RESPONSIO II.

Actus externus imperatus, actui interno, à quo imperatur, non addit novam rationem meriti.

Prob. Nam posito actu imperante, naturali necessitate sequitur actus externus imperatus. Ergo in productione actus externi imperati nulla nova exercetur libertas. Ergo actus externus imperatus non habet libertatem sibi propriam, & distinctam à libertate actus imperantis. Ergo non habet propriam & distinctam bonitatem formalem, & moralem laudabilitatem. Ergo non habet propriam & distinctam rationem meriti, adeoque nec addit, nec addere potest novam meriti rationem actui interno, à quo imperatur.

Hinc vulgatum illud axioma: *Voluntas pro facto reputatur*, quod apud Deum verissimum est de voluntate perfecta & absolūtè efficaci, ex qua proinde naturali necessitate sequeretur actus externus, nisi impediretur ab aliquo potentiori. Ratio est, quia hæc voluntas tantum habet libertatis & bonitatis formalis, proindeque & moralis æstimabilitatis, quantum esset in ipsa & actu externo simul.

Obj. 1. Compositum ex actu interno imperante, & externo imperato, facit aliquid majus in ratione obsequii erga Deum, quam solus actus internus imperans. Ergo facit etiam aliquid majus in ratione meriti. **Resp.** Esto ant. neg. conseq. Ratio negandi est, quia apud Deum obsequium non est meritum, nisi sit liberum, & formaliter bonum. Unde ut obsequium ex parte operis crescat apud Deum in ratione meriti, requiritur ut crescat in ratione liberi & boni formaliter. Obsequium autem Deo exhibitum, non sic crescit per actum externum, qui novum libertatis exercitium, & novam ac propriam bonitatem formalem non superaddit actui interno, nec est liber & bonus formaliter, nisi extrinsecè per libertatem & bonitatem formalem actus interni.

Obj. 2. Actus externus cum interno est magis satisfactorius, quam solus internus. Ergo est etiam magis meritorius. **Resp.** neg. conf. Disparitas est, quod satisfactio pro peccatis in eo consistat, quod tantum pœnæ sive internæ sive externæ subeat voluntariè quantum merentur peccata. Unde magis satisfacit qui pœnam internam & externam simul tolerat, quam qui tolerat solam internam. At meritum consistit

fit in eo, quod jus acquiratur ad primum à Deo propositum & promissum, quod non fit, nisi liberè præstando obsequium Deo, & liberè propter ipsum bene operando. Unde ubi est æqualis libertas & bonitas formalis, ibi est æquale meritum ex parte operis apud Deum; nec ex parte operis apud Deum crescere potest meritum, nisi crescant libertas & bonitas formalis.

Aliud est apud homines: nam apud illos meritum, sicut & demeritum, majus vel minus judicatur secundum actus externos. Ratio est, quia homines non judicant de actibus internis, sed de externis tantum, vel certe non judicant de actibus internis, nisi per externos, sine quibus ex internis nullam utilitatem, nullum incommodum, nullam voluptatem, nullam molestiam percipere possunt. Unde mirum non est, quod homines meritum vel demeritum maxime attendant secundum actus externos.

Obj. 3. Scriptura pluribus locis promittit mercedem ipsis operibus externis. Ergo tribuit illis rationem meriti. *Resp.* Scripturam mercedem promittere actibus externis, ut conjunctis cum internis, quibus cum constituunt unum moraliter actum, meritum ratione solius interni, sive, quod eodem redit, meritum ratione libertatis & bonitatis formalis, quam habet actus internus, & quæ ab actu externo per extrinsecam denominationem participatur.

ARTICULUS VI.

Unde habeant opera iustorum, ut sint magis meritoria.

Certum est opera iustorum, quæ conditiones omnes ad merendum necessarias habent, eò magis meritoria esse, quod perfectiora sunt vel specificè, vel intensivè, vel extensivè, aut quod plura & plura sunt. Sed queritur utrum sint magis meritoria propter maiorem gratiam sanctificantem, vel propter maiorem durationem, vel propter maiorem operandi difficultatem.

RESPONSIO I.

Meritum crescit ratione majoris gratiæ sanctificantis, in operante præexistens.

Prob. Crescente circumstantia considerabili in opere, crescit operis æstimabilitas, ut patet ex terminis. Atqui dignitas personæ operantis est circumstantia considerabilis in opere meritorio, ut etiam per se clarum est. Ergo crescente dignitate personæ operantis, crescit æstimabilitas operis meritorii. Atqui dignitas personæ operantis crescit per maiorem gratiam sanctificantem. Ergo per maiorem gratiam sanctificantem crescit æstimabilitas operis meritorii, adeoque crescit meritum; cum eò majus sit meritum, quo opus meritorium æstimabilius est.

Dixi autem, in operante præexistens, tempore scilicet vel natura: nam gratia subsequens tempore, vel natura opus meritorium, ac proinde data in primum operis meritorii, non potest augere meritum ejus: meritum enim operis est dignitas ejus ad mercedem. At dignitas operis ad mercedem, mercedem præcedit: nam hæc dignitas habet se ad modum causæ moralis, remuneratorem ad mercedem retribuentem moventis ac determinantis. Ergo meritum operis præcedit mercedem, adeoque præcedit gratiam in primum illius datam, à qua proinde independens est. Ergo meritum operis augeri non potest per gratiam, quæ illud tempore vel natura subsequitur, & in ejus primum datur.

Obj. Ut dicitur Matth. cap. 16. Deus reddit unicuique secundum opera ejus. Atqui hoc verum non est, si Deus remuneret opus æquale majori præmio propter maiorem gratiam sanctificantem. Ergo, &c. *R.* Deum redditurum unicuique secundum opera ejus, considerata non solum secundum propriam & intrin-

secam excellentiam; sed etiam secundum omnes alias circumstantias, quæ ad maiorem illorum æstimabilitatem conferunt, & quarum una est dignitas personæ operantis, orta ex gratia sanctificante, ut probatum est.

RESPONSIO II.

Meritum crescit ex circumstantia durationis: ita ut opus bonum eò magis meritorium sit, quod diutius continuatur.

Prob. Nam secundum prudens judicium, circumstantia durationis considerabilis est in opere bono in ordine ad primum retribuentum, sicut & in opere malo in ordine ad penam infligendam. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam ver. gr. qui diu perseverat in actuali amore Dei, melius & laudabilius agit, quam qui obiter tantum hunc actum exerceat. Item qui diu perseverat in actuali odio Dei, pejus & vituperabilius agit, quam qui citò hunc actum deponit. Sed qui melius & laudabilius agit, dignus est majori præmio. Item qui pejus & vituperabilius agit, dignus est graviore pena. Ergo, &c.

Obj. Si meritum crescit ex circumstantia durationis, crescit in infinitum. Absurdum cons. Ergo, &c. *R.* neg. seq. maj. Nam quantumcumque continuatur opus meritorium, nunquam durat nisi tempore determinato & finito. Tempus autem finitum non potest dare nisi augmentum finitum. Ergo quantumcumque continuatur opus meritorium, non potest nisi finitè crescere in ratione meriti.

Probabis tamen seq. maj. Tempore finito, quo durat actus meritorius, produci possunt alii actus meritorii plures & plures in infinitum, quibus actus ille æqualebit in ratione meriti. Ergo, &c. *Resp. neg. ant.* Nam tempore finito non possunt produci actus, nisi numero finito. Ratio est, quia omnis actus essentialiter durat parte aliqua temporis determinatæ & aliquota. Partes autem determinatæ & aliquotæ in tempore finito non sunt nisi finito numero.

RESPONSIO III.

Difficultas in operando non augeat per se meritum operis.

Prob. Illud non augeat per se meritum operis, quod non est circumstantia per se considerabilis in opere meritorio, quæ tali. Atqui difficultas in operando, undecumque proveniat, sive ex natura operis, sive ex natura operantis, vel dispositione ejus vitiosa aut non vitiosa, non est circumstantia per se considerabilis in opere meritorio, quæ tali: difficultas enim in operando neque personam operantem, neque ipsum opus in æstimatione prudenti per se significat. Ergo, &c.

Dixi autem in Resp. per se: difficultas enim in operando meritum operis augere potest per accidens, quia potest esse occasio, cur actus sit perfectior, voluntate scilicet, vel cum majori apprehensione, vel cum majori intentione sese in actum impendente, aut in eo diutius perseverante. Sicut autem difficultas in operando augere potest meritum operis per modum occasionis, ita & per modum occasionis potest illud minuere, quatenus potest esse occasio, cur actus non sit tam bonus & perfectus moraliter, quam esset; aut non tandiu continuatur, quandiu continuaretur, si non esset in operando difficultas. Porro hoc modo per difficultatem in operando meritum operis minui sæpius contingit, quam augeri: cum è contra per operandi facilitatem regulariter contingat meritum operis potius augeri, quam minui: operandi enim facilitas regulariter facit, ut actus sit intensior, diuturnior & constantior, quam esset cum operandi difficultate.

ARTICULUS VII.

Quid adulti possint vel non possint mereri.

RESPENSIO I.

Adulti, qui iustificantur, non merentur de condigno primam gratiam actualem, imò nequidem merentur de congruo.

Prob. 1. pars. Nam 1. sic loquitur Apostolus, Rom. cap. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et cap. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* His autem locis Apostolus, interprete S. Augustino cum aliis Patribus, qui contra Pelagianos & Semipelagianos scripserunt, loquitur de gratia actuali, quæ nostræ justificationis exordium est, quatenus per eam prævenimur à Deo, & vocamur ad exercendos actus salutes, quibus disponimur ad accipiendum justificationis beneficium. Atqui hujus gratiæ collationem nullum de condigno meritum supponere, saltem asserit Apostolus. Ergo, &c.

2. Cum Augustinus, & alii Patres qui post eum scripserunt, contra Pelagianos & Semipelagianos contendunt gratiam, quæ efficienter iustificamur, non secundum merita nostra dari, saltem intelligunt merita, quibus de condigno meremur mercedem aliquam. Atqui gratia, quæ efficienter iustificamur, est prima actualis gratia. Ergo, &c.

3. Synodus Arausica II. sic ait cap. 18. *Debetur merces bonis operibus; sed gratia, quæ non debetur, precedit ut fiant.* Hic Synodus loquitur saltem de prima gratia actuali, & dicit eam non deberi. Atqui deberetur nobis, si eam de condigno mereremur. Ergo, &c.

4. Synodus Tridentina, sess. 6. cap. 5. *Declarat ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quæ nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deoaversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, &c.* At si nulla præexistunt merita in adultis peccatoribus, cum primam actualem gratiam accipiunt, quomodo eam de condigno mereri possunt?

Prob. 2. pars. Quia 1. Apostolus asserit primam gratiam actualem dari à Deo independentem ab omni opere bono precedente, adeoque tam meritum de congruo, quam meritum de condigno excludit.

2. Cum Patres contra Pelagianos & Semipelagianos asserunt primam gratiam actualem non dari secundum merita nostra, tam intelligunt merita de congruo, quam merita de condigno. At verò Semipelagiani nunquam dixerunt, fidem, & alia bonorum operum initia, ex solis naturæ & arbitrii viribus profecta, esse de condigno meritoria, sed ad summum de congruo meritoria esse voluerunt. Ergo Patres contra eos disputantes vel nihil egerunt, vel à primæ gratiæ actualis collatione meritum quodlibet, etiam improprium & de congruo tantum, removendum esse probaverunt.

3. Cum Tridentinum asserit adultos peccatores actualem gratiam, quacum ad justificationem sese preparare possint, accipere nullis precedentibus suis meritis, manifestè removel meritum etiam de congruo tantum. Nam qui dicit nulla merita, omnia negat; & qui omnia negat, merita etiam de congruo excludit.

4. Si adultus peccator potest de congruo mereri primam gratiam actualem, quacum sese disponit ad justificationem, certè per opera moraliter bona, ad quæ sufficiunt solæ arbitrii vires. Atqui hoc dici non potest: alioqui est ex operibus, & sic gratia non est gratia. Item homo habet aliqua opera ad salutem conducentia, quæ non accepit à gratia, contra illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* Item homo sine gratiæ auxilio se ipsum discernit, contra illud Apostoli: *Quis te discernit?* Item

homo gloriari potest de bono arbitrii sui usu, contra illud Apostoli: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

5. Denique, si prima gratia actualis, quæ adultus congruè vocatur ad fidem, cadit sub meritum etiam de congruo tantum, dabitur ex parte hominum ratio, cur unus moveatur efficaciter ad credendum, alter verò non moveatur. Atqui hoc aperte repugnat Apostolo dicenti, Rom. cap. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et c. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c.* In quæ verba ita dissert S. Augustinus epist. 105. ad Sixtum: *Cur autem illo credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & apud quem non est iniquitas, dum cujus vult miseretur, & quem vult obdurat.* Ex quibus aperte colligitur, actualis, quæ ad fidem convertitur adultus, gratiæ collationi, nullum opus bonum, ex solis naturæ viribus factum, præire etiam per modum meræ conditionis sine qua non.

RESPENSIO II.

Adulti, qui iustificantur, non merentur de condigno primam gratiam sanctificantem, sed merentur eam de congruo.

Prob. 1. pars. 1. Ex Apostolo, Rom. cap. 3. dicente: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Unde sic argumentor. Si adultus, qui iustificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, non iustificatur gratis. Conf. repugnat Apostolo. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Si adultus, qui iustificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, meretur de condigno causam formalem suæ justificationis. Sed qui meretur de condigno causam formalem suæ justificationis, non iustificatur gratis: meretur enim de condigno suam justificationem. Ergo, &c. Hinc non possumus non assentiri iis, qui dicunt hanc partem nostræ assertionis esse de fide.

2. Ex S. Augustino in epist. 105. ad Sixtum, ubi sic ait: *Nullane sunt merita iustorum? Sunt planè, quia iusti sunt; sed ut iusti fierent, merita non fuerunt. Iusti enim facti sunt, cum iustificati sunt: sed, sicut dicit Apostolus, iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et ex Trident. sess. 6. cap. 8. ubi hæc leguntur: *Gratis autem iustificati ideo dicamur: quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Manifestum autem est S. Augustinum, & Synodum Tridentinam saltem loqui de merito propriè dicto, & de condigno. Ergo ex S. Doctore, & Tridentina Synodo, adultus qui iustificatur, non meretur de condigno suam justificationem, adeoque nec primam gratiam sanctificantem, quæ est causa formalis illius.

3. Ratione. Nam si adultus, qui iustificatur, meretur de condigno primam gratiam sanctificantem, certè sic meretur illam per actus salutes, quibus sese disponit ad accipiendum justificationis beneficium; adeoque actus illi habent condignitatem ad gratiam illam, hoc est, moralem cum illa ut mercede æqualitatem, vi cuius in illam ut mercedem, supposita promissione divina, jus justitiæ acquiritur adultus, qui iustificatur. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Nam si actus salutes adulti sese ad justificationem disponentis, habent condignitatem ad primam gratiam sanctificantem, accipiunt illam saltem ex parte à dignitate, quam operans habet ut iustus, amicus Dei, & filius ejus adoptivus; adeoque accipiunt illam saltem ex parte ab ipsa prima gratia sanctificante, à qua operans habet, ut sit iustus, amicus Dei, & filius ejus adoptivus. Abiurdum conf. Nam si actus salutes adulti sese ad justificationem

stificationem disponentis, condignitatem ad primam gratiam sanctificantem accipiunt ab ipsa prima gratia sanctificante, meritum condignitatem ad primum accipit ab ipso premio; quod est absurdum; premium enim non facit, sed supponit dignitatem & aestimabilitatem operis, cuius est premium: cum opus per suam dignitatem, & aestimabilitatem ad dandum premium moveat premiantem. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Ex S. Augustino in epist. 105, ad Sixtum: *Sed nec ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei, quæ scilicet in adulto peccatore, se ad justificationem disponente, per alios subsequentes actus salutares, ac imprimis per contritionis actum operatur.* Atqui fides, cum aliis operibus salutaribus, quæ illam subsequuntur, non potest impetrare remissionem peccatorum, nisi impetrando primam gratiam sanctificantem, sine qua ut causa formali justificationis, peccata non condonantur. Ergo, &c.

2. Ex Tridentino Concilio, sess. 14, cap. 4, ubi dicitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Quibus verbis æquivalenter dicitur, per contritionis motum, modò cetera, quæ requiruntur, omnia adfint, veniam peccatorum, adedque primam gratiam sanctificantem, sine qua venia illa non datur, impetrari; sine contritionis motu, etiam si adfint cetera omnia, quæ requiruntur, non impetrari.

3. Meritum de congruo dicitur illud, quod vim habet ex decentia quadam inducendi Deum ad dandum aliquid. Atqui actus salutares, quibus adultus ad justificationem disponitur, vim habent ex decentia inducendi Deum ad dandum primam gratiam sanctificantem: sunt enim honesti, liberè facti ex instinctu Spiritus S. & interioris gratiæ adjutorio, adedque supernaturales, & ejusdem ordinis cum prima gratia sanctificante. Ergo, &c.

RESPONSIO III.

Adultus, qui justificatur, non meretur de condigno primam gloriam.

Prob. 1. Nam si adultus, qui justificatur, meretur de condigno primam gloriam, certè per actus salutares, quibus disponitur ad recipiendam primam gratiam sanctificantem, cui responderet prima gloria. Atqui hoc dici non potest. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam ut actus salutares mereantur de condigno gloriam, requiritur ut fiant ab homine, tempore, aut saltem natura prius justo, amico Dei, & filio ejus adoptivo, quàm fiant. Atqui actus salutares, quibus adultus disponitur ad recipiendam primam gratiam sanctificantem, cui responderet prima gloria, non fiunt ab homine, tempore aut natura prius justo, &c. Fiunt enim ab homine non solum natura, sed tempore prius peccatore, quàm fiant. Ergo, &c.

Prob. maj. Ex S. Augustino loco supra laudato, ubi dicit: *Nullane sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt.* Ergo, juxta S. Doctorem, prius est hominem esse justum, quàm exercere posse opera de condigno meritoria. Idem apertè significat Tridentinum sess. 6, cap. 10, cum ait: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse* (pondera hanc vocem, amplius) *credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, & vitam æternam... verè promeruisse censeantur.* Juxta Synodi doctrinam, non qui justificatur, sed qui iustificatus est, adedque qui justus est, non in fieri, sed in facto esse, ei nihil deest amplius, ad hoc ut verè vitam æternam promereri possit operibus in Deo factis. Ex quo apertè colligitur, operibus in Deo factis, ad vitam æternam verè promerendam defuturum aliquid, si non præcederet status iustitiæ.

Prob. 2. Actus salutares, quibus adultus ad justificationem disponitur, non sunt meritorii de condigno primæ gloriæ. Ergo, &c. Conseq. patet. *Prob. ant.* Si actus illi sunt de condigno meritorii primæ

gloriæ, certè quia, ut voluit adversarii, crescit eorum dignitas & aestimabilitas ex præsentia primæ gratiæ sanctificantis, cui responderet prima gloria. Atqui hoc est falsum. Ergo, &c.

Prob. min. Dignitas seu aestimabilitas meriti non crescit ex solutione mercedis: alioqui solutio mercedis augeret debitum; cum è contra per mercedis solutionem debitum extinguatur, aut saltem minuitur. Atqui prima gratia sanctificans, cui responderet prima gloria, actibus, quibus adultus ad justificationem disponitur, ut meritis de congruo redditur per modum mercedis, non quidem ex iustitia propter defectum moralis æqualitatis, sed tantum ex fidelitate debite. Ergo, &c.

Nec dic, quòd prima gratia sanctificans sit tantum merces improprie & late dicta actuum, quibus adultus ad justificationem disponitur. Nam si repugnat aestimabilitatem operis crescere per mercedem proprie & strictè dictam, multò magis repugnat crescere per mercedem, quæ improprie tantum & late merces est: quia si repugnat debitum crescere per mercedis proprie & strictè dictæ solutionem, multò magis repugnat crescere per solutionem mercedis, quæ improprie tantum & late merces est; cum hæc sit minus debita, quàm altera: est enim debita tantum ex fidelitate; altera verò non ex fidelitate solum, sed etiam ex iustitia: item cum hæc excedat aestimabilitatem operis, cui redditur, altera verò non excedat.

Obj. 1. Scriptura & Patres absolute affirmant iustos mereri vitam æternam. *Resp.* Scripturam & Patres loqui indefinite, cum dicunt iustos gloriam æternam mereri. Unde Theologis examinandum relinquitur, utrum iusti de condigno mereantur etiam primam gloriam, an verò tantum augmentum gloriæ. Eos autem non primam gloriam, sed tantum gloriæ augmentum de condigno mereri, nobis videtur probabilius.

Obj. 2. Tridentinum sess. 6, can. 32, aliter loquitur de gratia & gloria; nam de gratia solum ait: *iustum mereri augmentum ejus; de gloria verò dicit: iustum mereri vitam æternam, hoc est, gloriam, & augmentum gloriæ.* *Resp.* Cum Tridentinum ait iustos mereri vitam æternam seu gloriam, indefinite loquitur, & præcendendo à prima & secunda gloria. Cum autem addit iustos mereri augmentum gloriæ, non hoc facit, ut significet eos mereri etiam primum gloriæ gradum, primæ gratiæ sanctificantis correspondentem, sed ad confutandos hæreticos, negantes gloriam augeri per opera bona in statu iustitiæ facta.

Obj. 3. Ex doctrina nostra sequitur adultum salvari posse sine operibus de condigno meritorii vitæ æternæ. Hoc autem repugnat Scripturæ generatim asserenti, unumquemque adultorum mercedem accepturum esse secundum opera sua. Ergo, &c. *Resp.* Majorem veram esse. Nam si adultus, infidelis v. g. statim post actum dilectionis Dei super omnia electum, & acceptum justificationis beneficium moriatur, salvabitur sine meritis de condigno. Scripturæ autem asserenti unumquemque mercedem accepturum esse secundum opera sua, sensus est, quòd illi omnes, qui bona merita habent, mercedem accepturi sint bonis suis meritis proportionatam: sicut qui mala merita habent, penam accepturi sunt proportionatam & debitam malis eorum meritis.

RESPONSIO IV.

Perseverantia finalis non cadit sub meritum de condigno, imò nec sub meritum de congruo, quòd effectum suum infallibiliter obtineat.

Prob. utraque pars 1. Ex Apostolo Philipp. c. 2: *Cum metu, inquit, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus verbis apertè declarat Apostolus, à puro Dei beneplacito pendere, ut iusti usque in finem accipiant gratiæ actua-

actuales, quibuscum non solum possint observare, sed etiam re ipsa observent mandata divina usque in finem, adeoque sub nullum meritum, cum effectu infallibiliter connexum, cadere gratias actuales efficaces, quibuscum usque in finem perseverant iusti in statu iustitiae: unde iure merito salutem suam, incumbendo bonis operibus, operantur cum metu & tremore.

2. Ex S. Augustino lib. de bono perseverant. c. 8. *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur: inscrutabilia sunt iudicia Dei.* At profecto in hoc non essent inscrutabilia Dei iudicia, si perseverantia caderet sub merito, etiam de congruo tantum, sed infallibiliter connexum cum effectu: sicut non sunt inscrutabilia in eo, quod unus adultus iustificetur, alter vero non iustificetur, quia iustificatio adulti cadit sub merito de congruo, per quod obtinetur infallibiliter. Unde quarenti quare unus adultus iustificetur, & alter non iustificetur, responderi potest, quia unus meretur iustificationem, & alter non meretur, quia unus habet praequisitam contritionem, & alter non habet.

Eodem libro cap. 13. sic loquitur: *Unde satis dilucide ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.* Quibus verbis S. Doctor omne omnino meritum, sive proprium, sive improprium, per quod perseverantia infallibiliter obtineatur, excludit.

3. Ex S. Thoma 1. 2. quaest. 114. art. 9. in O. ubi, 1. distinguit duplicem perseverantiam, videlicet perseverantiam gloriae, quae ad patriam pertinet, & perseverantiam viae, de qua hic agitur. 2. Perseverantiam gloriae cadere sub merito, quia comparatè ad motum liberi arbitrii, à Deo praeveniente directi, se habet ut terminus, hoc est, quia liberum arbitrium, à Deo praeveniente, ad illam ut terminum suum tendit per opera salutaria; perseverantiam vero viae sub merito non cadere, quia est effectus motionis divinae, quae comparatè ad praedictum liberi arbitrii motum se habet ut principium, adeoque est id, quo liberum arbitrium per opera meritoria tendit ad perseverantiam gloriae ut sui motus terminum, sive, quod idem est, est principium omnium operum salutarium, quibus liberum arbitrium perseverantiam gloriae promeretur, proindeque principium est omnis meriti. Principium autem omnis meriti sub merito cadere repugnat. Unde concludit S. Doctor: Deum perseverantiam viae iis, quibus eam largitur, gratis & independentè ab omni merito, mercedem scilicet, nisi per peccatum impediatur, infallibiliter consequente, largiri.

Verba S. Doctoris sunt haec: *Dupliciter potest aliquis perseverantiam in bono obtinere à Deo. Uno quidem modo per hoc, quod liberum arbitrium determinatur ad bonum per consummatam gratiam: quod erit in gloria. Alio modo ex parte motionis divinae, quae hominem inclinat ad bonum usque in finem Illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, directi à Deo movente, sicut terminus, non autem id, quod comparatur ad praedictum motum, sicut principium. Unde pater, quod perseverantia gloriae, quae est terminus praedicti motus, cadit sub merito. Perseverantia autem viae non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quae est principium omnis meriti: sed Deus gratis perseverantiam bonum largitur, cuicumque largitur. Mens S. Doctoris modò declarabitur amplius.*

4. Ratione. Pro quo nota. Perseverantia alia est gloriae, & alia viae. Perseverantia gloriae est effectus consummatae charitatis, qualis non erit, nisi in patria. Cum autem consummata haec charitas cadat sub merito, perseverantiam gloriae sub merito cadere, planum est. Sed de hac perseverantia, ut jam monuimus, hic non agitur.

Perseverantia viae, de qua hic agitur, potest sumi duobus modis. 1. Formaliter; & sic sumpta consistit in bona morte. Hoc modo perseverantiam viae, quam

deinceps perseverantiam simpliciter nominabimus, passim sumit S. Augustinus, ac praecipue & apertissime, lib. de corr. & grat. cap. 12. 2. Praesuppositivè, relatè scilicet ad adultos, qui non statim post acceptam justificationis gratiam, ex huius vitae periculis rapiuntur, sed aliquandiu postea, alii aliis diutius, vivunt, & tamen acceptam in justificatione stolam ad tribunal Christi perferunt. Perseverantia, hoc modo sumpta, consistit in constanti usque in finem mandatorum divinarum observatione, & est effectus motionis divinae efficaciae, usque in finem continuatae, hoc est, collectionis actualium gratiarum efficacium, quibuscum successivè acceptis, liberum hominis arbitrium, malum vitando & operando bonum, mandatorum divinarum tramiti ad viam terminum usque insistit.

Potè perseverantia, sic accepta, praesupponitur quidem in iis, qui non statim à justificatione rapiuntur, & tamen perseverant finaliter; at non per eam, sed per bonam mortem constituuntur formaliter perseverantes, seu perseverantes simpliciter: unde perseverantiam formaliter sumptam, seu formalem perseverantiam ponimus in bona morte, qua accepta, homo est, non accepta, non est finaliter & formaliter perseverans. His autem praesuppositis.

Argumentor sic. Si perseverantia cadit sub merito, cum effectu infallibiliter connexum, vel primo, vel secundo modo sumpta. Non primum: nam si bona mors caderet sub merito, cum effectu infallibiliter connexum, nullus iustus sine bonis operibus, in statu iustitiae factis, bene moreretur; aut cum operibus in statu iustitiae factis, male moreretur. Atqui hoc utrumque repugnat constanti experientiae. Constans enim experientia docet non paucos statim à justificatione, & antequam ulla opera meritoria exercuerint, rapi ex hac vita, & bene mori, & contra multos, qui in statu iustitiae opera meritoria exercuerunt, eaque plurima, etiam heroica, in peccatum prolabi, & male mori. Ergo, &c.

Ratio autem à priori est, non quia repugnat bonam mortem sub merito cadere: non enim magis repugnat eam cadere sub merito, quam augmentum gratiae & gloriae: cum non sit aliquid majus in ratione beneficii, quam vita aeterna, quam tamen iusti etiam de condigno merentur per opera in Deo facta: sed quia Deus noluit eam (bonam mortem) supponere merito, proponendo & permittendo illam ut mercedem, vel quasi mercedem retribuendam bonis operibus, etiam in statu iustitiae factis ex auxilio gratiae; eamque voluit à pura sua liberalitate ac misericordia dependere: ita ut quibus conceditur, purè liberaliter ac misericorditer concedatur; quantumvis iusti sint atque sancti, & tempore etiam diutissimo in statu iustitiae, ac christianarum virtutum omnium exercitio permanferint.

Non secundum, quo modo perseverantiam sumit S. Thomas post Apostolum. Nam constans usque in finem mandatorum divinarum observatio est effectus motionis divinae, usque in finem continuatae, & liberum hominis arbitrium ad gloriae terminum efficaciter dirigentis. Atqui haec motio non cadit sub merito. Ergo nec constans usque in finem mandatorum divinarum observatio, quae est ejus effectus. *Prob. min.* Quia principium omnis meriti sub merito cadere repugnat. Atqui haec motio in homine iusto est principium omnis meriti: est enim principium omnium operum salutarium, quae ab illo exercantur. Sic ratiocinatur S. Thomas; cujus ratiocinium amplius declarandi gratia.

Sic adhuc argumentor. Constans usque in finem mandatorum divinarum observatio est effectus collectionis gratiarum actualium efficacium, quibuscum successivè acceptis, iustus usque in finem malum vitat, & bonum operatur. Ergo constans usque in finem mandatorum divinarum observatio sub merito cadere non potest, nisi ratione collectionis illius: nam si iustus nullo pacto meretur collectionem illam, nullo pacto meretur constantem usque in finem mandatorum divinarum observationem: cui enim absque ullo

nullo merito donatur causa, absque ullo merito donatur effectus, causam infallibiliter & sine novo favore consequens. Atqui collectio illa nullatenus sub meritum cadit. Ergo, &c.

Prob. subsj. Nam 1. iustus nullatenus meretur actua-lem gratiam efficacem, quæ est prima in illa collectione, & quacum primum opus meritorium exercet; vel meretur illam per actum merè naturalem, quod est Pelagianum. 2. Nullatenus meretur actua-lem gratiam efficacem, quæ in illa collectione secunda est, & quacum exercet secundum opus meritorium: nam si secundam meretur, certè per primam. Hoc autem dici non potest; secunda enim non est terminus primæ, sicut nec tertia secundæ, aut quarta tertiæ, &c. sed unus omnium terminus est, nempe gloria promerenda; unde prima liberum arbitrium non dirigit ad secundam, sicut nec secunda ad tertiam, aut tertia ad quartam, sed omnes communiter liberum arbitrium ad unam gloriam, ut mercedem promerendam, dirigit.

Præterea, si iustus per primam gratiam meretur secundam; per secundam meretur tertiam, per tertiam quartam, & sic deinceps. Atqui hoc dici non potest: alioqui iustus, accepta prima gratia, ceteras omnes infallibiliter accipiet; loquimur enim semper de merito cum effectu infallibiliter connexo; atque ita infallibiliter usque in finem in mandatorum divinorum observatione perseverabit. Unde ulterius sequitur, iustos omnes, qui habent opera eternæ vitæ meritoria, nullo excepto, salvari, & eos omnes, qui è statu iustitiæ in peccatum prolapsi, male moriuntur, nulla unquam opera vitæ eternæ meritoria habuisse; quæ omnia falsa sunt, & intolerabilia. Ergo collectio gratiarum actualium efficacium, quæ se habet ad modum unius motionis divinæ, usque in finem continuatæ, qua homo ad portum salutis efficaciter dirigitur, secundum nullam sui partem cadit sub meritum, cum effectu infallibiliter connexum; sed secundum omnes & singulas partes ex pura Dei misericordia dependet relatè ad iustos quoscumque, quorumque, & quantacumque opera vitæ eternæ meritoria habeant.

Dices. Possumus ferventi oratione impetrare à Deo finalem perseverantiam, ut ait S. Augustinus lib. de bono persev. cap. 6. *Hoc Dei donum* (finalis perseverantiæ) *suppliciter emereri potest.* Ergo finalis perseverantia cadit saltem sub meritum de congruo. *Resp. dist. conf.* Ergo finalis perseverantia cadit sub meritum de congruo, cum effectu connexum infallibiliter, N. conf. non enim omnes, qui cum fervore orantur aliquando, finaliter perseverant, sed è contra multi ex illis cadunt, & ex hac mortali vita decedunt, antequam resurgant. Ergo finalis perseverantia cadit sub meritum de congruo, quod non nisi fallibiliter cum effectu connexum est, C. conf. quod non est contra assertionem nostram.

RESPONSIO V.

Iusti reparationem post lapsum, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur per opera in Deo facta in statu iustitiæ.

Ita S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 7. & *Prob. breviter.* Opera bona in statu iustitiæ facta, neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur conservationem gratiæ sanctificantis, & auxilia gratiæ efficaciam ad non cadendum. Ergo multò minus sive de condigno, sive de congruo infallibiliter merentur reparationem gratiæ sanctificantis post lapsum, & auxilia efficaciam ad resurgendum: plus enim est, gratiam sanctificantem restitui, quàm conservari, & plus est, injusto dari auxilia efficaciam ad dolendum de peccato, quàm iusto ad non peccandum; neque invenimus unum magis quam aliud à Deo promissum esse.

Confirmatur experientia. Nam aliqui post plurima & eximia pietatis opera, in statu iustitiæ facta, lapsi non resurgunt, sed in suis peccatis moriuntur. Et

go, &c. Dixi autem, de congruo infallibiliter: possunt enim iusti per opera pietatis in statu iustitiæ facta mereri de congruo, sed fallibiliter, reparationem post lapsum; quia fieri potest, ut Deus iusto lapso auxilium efficaciam ad resurgendum à lapsu donet intuitu alicujus boni operis ab eo facti in statu iustitiæ: quod planè fallibile est; cum nulla illud faciendi extet divina promissio, pendeatque à pura misericordia Dei, qui non semper lapsus à statu iustitiæ, in quo multa bona opera exercuerunt, dat auxilium efficaciam ad dolendum sicut oportet de peccatis, & cum dat, non semper attendit ad bona opera, quæ fecerunt, cum essent iusti.

RESPONSIO VI.

Iusti merentur de condigno augmentum gratiæ sanctificantis.

Est de fide, & *prob. ex Trid. sess. 6. cap. 10. Sic ergo, inquit, iustificati, & amici Dei ac domestici facti, cunctis de virtute in virtutem, renovantur ... in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur ... hoc verò iustitia incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum.* Et can. 32. *Si quis, inquit, dixerit ipsum iustificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam eternam atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Sed

Nota 1. Iusti merentur de condigno augmentum gratiæ etiam per actus remissiores habitu jam ante infuso. Nam neque Scriptura, neque Tridentinum, ad merendum de condigno gratiæ augmentum, requirit ut actus meritorius sit habitu præexistente intensior, imò Tridentinum (sess. 6. cap. 16. ad meritum de condigno requirit tantum opus bonum in Deo per ejus gratiam factum ab homine iustificato, & addit esse credendum, quodd nihil amplius requiratur ad verum meritum.

Nota 2. Augmentum gratiæ, posito actu illius meritorio, statim tribuitur iustis, ut colligitur, 1. ex Scriptura, 2. Cor. cap. 4. ubi dicitur: *Renovamur de die in diem.* Apocal. cap. ult. ubi legitur: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, &c.* 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 10. ubi iustificati dicuntur, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, fide cooperante bonis operibus, crescere, atque magis iustificari.

Nota 3. Iusti merendo augmentum gratiæ sanctificantis, merentur etiam omnia auxilia, tam temporalia, quàm spiritualia & supernaturalia, sine quibus eam conservare non possunt: auxilia enim ad gratiæ conservationem necessaria, sunt ei connaturaliter debita, & cum ea faciunt unam moraliter mercedem. Quare hæc auxilia iustis nunquam denegat Deus, qui proinde iustificatos non deserit, nisi prius ab illis deseratur; attamen quodd potius dentur congrua, quàm incongrua, effectus est puræ liberalitatis ac misericordiae divinæ.

RESPONSIO VII.

Iusti merentur de condigno augmentum gloriæ.

Est de fide, & *prob. 1. Ex Scriptura.* Nam dicitur Gal. cap. 6. *Qui seminat in spiritu, in spiritu metet vitam eternam.* Et 2. Cor. cap. 4. *Quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternam gloriæ pondus operatur in nobis.* Et Jacobi cap. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 32. ubi contrarium asserentes anathematizantur.

ARTICULUS VIII.

Quid & quomplex sit meritum de congruo.

1. **M**eritum de congruo dicitur illud, cui deest aliquid requisitum ad meritum perfectum, hoc est, ad meritum de condigno. Ad meritum autem de condigno duo requiruntur, ut suo loco ostensum est; moralis scilicet æqualitas cum mercede, & facta à Deo mercedis promissio. Meritum igitur de congruo dicitur illud, quod vel non habet moralem æqualitatem cum mercede, vel non habet promissionem mercedis, vel neutram habet, sed solum habet in æstimatione morali quandam cum mercede proportionem seu congruitatem, vi cuius illi seu illius intuitu Deus potest mercedem tribuere decenter & congruè.

Hinc in homine iusto bona opera in Deo per ipsius gratiam facta, sunt tantum meritoria de congruo perseverantiæ finalis; licet cum ea moralem æqualitatem habeant. Ratio est, quia non habent perseverantiæ finalis promissionem, unde non habent jus iustitiæ ad illam, quod ad meritum de condigno requiritur.

Hinc in homine peccatore contritio charitate perfecta est tantum de congruo meritoria primæ gratiæ sanctificantis; quamvis promissionem illius habeat. Ratio est, quia propter defectum dignitatis in persona operante, non habet moralem æqualitatem cum prima gratia sanctificante, sed solum habet cum ea proportionem quandam & congruitatem, vi cuius Deus decet hominem perfectè contritum, quia perfectè contritus est, iustificare; ad quod tenetur, non quidem ex iustitia, sed ex fidelitate propter suam promissionem.

Hinc rursus in homine peccatore oratio ex instinctu & adiutorio Spiritus S. facta, est tantum de congruo meritoria prævenientis gratiæ, qua efficaciter movetur ad dolendum sicut oportet de peccatis; quia neque moralem cum illa æqualitatem, neque illius promissionem habet, sed solum habet intrinsecam excellentiam, cuius intuitu Deus potest decenter & congruè hominem peccatorem gratia sua movere, quomodo ei aptum est, ut de peccatis doleat sicut oportet ad consequendum iustificationis beneficium.

2. Ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio vis idonea ad inducendum Deum ex decencia, ut operi aliquid retribuatur. Unde ad meritum de congruo requiritur in opere meritorio, si non habet moralem cum mercede æqualitatem, certa quadam proportio & congruitas cum eo, quod retribuendum est. Quam proportionem & congruitatem habet opus à propria excellentia; ad quam requiritur, ut sit opus in Deo per ipsius gratiam liberè factum. Hinc opus ex solis naturæ viribus factum, quantumvis honestum sit ac liberum, nec est, nec potest esse de congruo meritorium præmii scilicet supernaturalis; nam de tali hic agitur.

3. Ut ex dictis liquet, duplex est meritum de congruo, unum scilicet, cui promissa est retributio, & alterum cui retributio non est promissa. Unde meritum de congruo dividi debet in illud, quod cum mercede infallibiliter connexum est, & illud quod non nisi fallibilem habet cum mercede connexionem, adeoque potest esse sine retributione. Hinc meritum de congruo adhuc dividi potest in meritum de congruo in actu primo tantum, & meritum de congruo in actu secundo. Meritum de congruo in actu primo tantum, est opus, cuius intuitu Deus posset operanti aliquid retribuere cum decencia, non tamen retribuit, quia non vult. Meritum de congruo in actu secundo est opus, cuius intuitu Deus potest cum decencia retribuere aliquid, quod re ipsa retribuit, vel cum debito fidelitatis, si promisit retributionem, vel absque omni debito, si retributionem non promisit.

4. Denique, meritum de congruo, ut etiam ex dictis patet, dividi potest ratione subjecti, in meritum de congruo, habens moralem æqualitatem cum mercede, sed sine illius promissione: tale est omne meritum de congruo in homine iusto: unde nullum meritum de congruo in homine iusto habet infallibilem retributionem: & meritum de congruo, carens morali æqualitate cum mercede, quacum tamen ob intrinsecam perfectionem, certam proportionem & congruitatem habet: talia sunt omnia merita de congruo in homine peccatore, quorum aliqua retributionis promissionem habent, aliqua non, & quorum proinde aliqua infallibilem habent retributionem, alia verò non habent.

